

Spec. 11. HOLOTHURIA (*Microthele*) *tigris* Nov. Spec.

HOLOTHURIA (*tigris*) n. 18. *Mss. Mertensii.*

Corpus 1 $\frac{1}{4}$ ' longum, 4" et ultra latum, oblongum, supra convexum, infra planum, in parte anteriore, media et posteriore tumidum, in media tamen magis tumidum, lateribus vario modo transversim incisum. Dorsum luteo-ochraceum striisque transversis nigris, taenias interruptas exhibentibus, punctisque minoribus fuscescentibus signatum. Abdomen albicans, pedibus nigricante-albidis, disco lutescentibus. Os et anus e subolivascente fuscescentia. Tentacula subfusco-olivascentia, pelta olivacea. Os in tentaculorum interno latere circulo e fuscescente olivaceo, in tentaculorum externo latere autem olivaceo cinctum.

In Insulis Uleai Archipelagi Carolinensis.

Spec. 12. HOLOTHURIA (*Microthele*) *sordida* Br.

HOLOTHURIA n. 16. *Mss. Mertensii.*

Corpus pedale vel brevius, 3 — 4 pollices latum, totum fusco-nigrum, in abdomine pallidius, lateribus subtri-vel quatuor-sinuatum, in medio magis, in anteriore et posteriore parte minus incrassatum. Integumenta valde incrassata. Dorsum pedibus parvis, tentaculiformibus obsessum. Pedes nigricantes, disco albo.

In Insula Lugunor Archipelagi Carolinensis.

Spec. 13. HOLOTHURIA (*Microthele*) *Aethiops* Br.

HOLOTHURIA n. 9. *Mss. Mertensii.*

Corpus circiter pedale et ultra, 2—3" latum, cylindricum, antice et postice tamen magis acutum atque in medio, totum nigro-fuscum, excepto pedum disco albo. Pedes dorsales acuti, frequentissimi, papillis acuminatis similes. Tentacula peltata, disco circulari.

In Insula Ualan.

Observ. Sequenti quidem speciei habitu adeo affinis, teste Mertensio tamen satis diversa, et praesertim tentaculorum forma distinguenda.

Spec. 14. HOLOTHURIA (*Microthele*) *affinis*. Br.

HOLOTHURIA n. 8. *Mss. Mertensii*.

Corpus pedale vel infra, 1 — 2" latitudine, atrum, sed luce quadam e coerulescente purpurascens. Dorsum pedibus papilliformibus, sparsis obsessum. Pedes in disco albi. Tentacula atra, peltarum digitationibus exterioribus interioribus longioribus. Tentacula viginti.

In Insula Ualan frequentissima.

Observ. Num forsitan haec *Holothuria* cum *Holothuria Radackensi* Chamissonis (Acta Acad. Caesareo-Leop. X. p. 352. tab. XXVI.) conjugenda? Vix dubitarem, *Holothuriam dubiam* et *Radackensem* easdem esse species, nisi Chamissous formae suae duodecim tantum tentacula tribuisset.

Ad subgenus *Microthele* quae sequuntur species referendae esse videntur:

Spec. 15. HOLOTHURIA *fuscocinerea*. Jaeger *Holoth.* p. 22.

Spec. 16. HOLOTHURIA *atra*. Ejusd. *ib.*

Spec. 17. HOLOTHURIA *fusco-punctata*. Ejusd. p. 23.

Spec. 18. HOLOTHURIA *scabra* Ejusd. *ib.* p. 23.

11. Genus. BOHADSCHIA Jaeger.

Anus stellatus inermis. Cetera ut in *Holothuriis*.

Spec. 1. BOHADSCHIA *marmorata*. Jaeger *Holoth.* p. 18.

Spec. 2. BOHADSCHIA *ocellata*. Jaeger *Holoth.* p. 19.

Spec. 3. BOHADSCHIA *Argus*. Jaeger. *Holoth.* p. 19. Tab. 2. fig. 1. et 1. b.

Spec. 4. BOHADSCHIA *lineolata*. Jaeger *Holoth.* p. 19.

Spec. 5. BOHADSCHIA *albiguttata*. Jaeger *Holoth.* p. 20.